

dolores secum ferunt Psal. XXXIIX, 3. confertur gladio accipi-
 piti & pertingenti usque ad divisionem animæ & spiritus,
 compagum item ac medullarum Hebr. IV, 12. (quem locum
 cum plerisque Nostratum de λόγῳ πνευματικῷ intelligimus,
 (quicquid una cum Patrum nonnullis obvertant Menochius,
 Tirinus, Cornelius a Lapide, Daniel Heinsius in Exercitat.
 p. 558. & pro statuminandis emblematis suis Rathmannus
 efficaciam divinam impugnator quondam haud ignotus), quia
 punctim caesimque ferit peccatorem, & omnes corporis at-
 que animæ vires viribus p. meat suis: commendatur elogio
 seminis, qualiter commendari non potest, nisi per essentiam
 & formam intrinsecam vegetabile sit, Marc. IV, 27. voca-
 tur Spiritus & vita, Joh. VI, 63. non solum ob finem ulti-
 mum, ad quem ducit, vitam gloriæ, sed & quia vim vivifican-
 di habet.

Τερατολογίας & strophas dissentientium Schwenckfeldia-
 norum, Anabaptistarum, Blanckii cujusdam Ministri Dan-
 tiscani, Casp. Movii, Weigeli, imo & eorum, qui in negotio
 conversionis non nisi moralem suasionem verbo Dei compe-
 tere statuunt, Twissi puta & Riveti, nolumus prolixè adscri-
 bere; in vulgus noti sunt. Breviter: Omne verbum Dei ve-
 ram, realem & proprie dictam virtutem & efficaciam con-
 vertendi, movendi, illuminandi una cum Spiritu S. perpe-
 tuo & inseparabiliter conjunctam habet. Verbum Dei qua-
 tale ne fingi quidem potest sine divina virtute aut sine Spiri-
 tu S. qui a verbo Dei inseparabilis est, hoc est, gratiosa Spiri-
 tus S. virtus & operatio ab hoc sanctissimo organo suo nun-
 quam abest, sed eidem indiviso & indivulso nexu assistit.
 Nam gratiæ vehiculum verbum Dei est: Spiritus S. ut causa
 principalis, & verbum ut causa media simul operantur homi-
 nis conversionem, non tantum tempore, verum & natura.
 Spiritus S. quidem natura prior est verbo divino qua revela-
 to, at non quæritur, quid natura prius sit aut dignius, sed
 quid